

- Ille super causa rogat, insontem probat in qua¹⁾
 Conscia mens veri; fortuna mihi mala junxit
 Furem, vicinis sacco sublata ferentem.
- 70 Depreſsum fuga defendit per opaca fructecti:
 Si nemus ambitur, reus intro latens reperitur.
 Que mea dicta probet, ſpectetur harundine clauſa
 Cartula pontificis, teneor quam ferre Veronam.
 Explorata fides mea iudicium revocavit.
- 75 Milite, rete, cane, cinctum nemus occupat hoſtem.
 Lis recidivatur, nova conteſtatio litis
 Meque reumque premens urget nimis, amplius illum.
 Fur ait: 'In culpa dolor eſt labi ſine culpa.
 Sacculus aduerſe partis depreſſus in uſu
- 80 Ipſe meus non eſt; non eſt meus ipſe, ſet ejus.
 Teſtibus iſta probo quos me cepiſſe videtiſ'.
 Aſt ego: 'Depositum ſervare tuum mihi tutum
 Credideram; nichil intro mali latitare verebar,
 Te ſocium ratus innocuum; tua te fugiente
- 85 Conmendata mihi reddo tibi. Numina celi
 Teſtor, eum, qui nec falli nec fallere novit'.
 Fur contra: 'Vox unius vox nullius; idem
 Et reus et teſtis nequit eſſe: reperta penes te
 Reſ ablata reum culpam vetat inficiari'.
- 90 Obticiui, nec enim potui convincere fraudem.
 Sola Dei per me pariet ſibi gratia laudem.
 Preſpiter accedens pro me nutante perorat:
 'Simplicitas hominis innoxia, laude colenda,
 Non cruce plectenda, divino jure docetur.
- 95 Indubitata fides mea novit, et aſtipulatur,
 Nil meruiſſe mali juvenem, nec jure gravari.
 Ne tamen humanas violet violentia leges,
 Conſulo iudicium ferri candentis adiri'.
 Dixit, et effectus comitatur: uterque ſubimus
- 100 Examen; nil leſa manus mea, furis aduſta.
 Ille crucem ſcandit; mihi vero meus ſua pandit
 Limina confessor, pater hic meus atque redemptor.
 Turpe genus fati cognatio queſta necati,
 Preter iudicium violenter ab ede revulſum,
- 105 Suſpenſo cruce deſposito, me ſubſtituerunt.
 Pendeo non pendens, ſet per triduum pede fultus
 Numinis angelici, cujus mihi gloria vultus,
 Cujus odor, prebent oblectamenta ſaporis.
 Hauſi ſero melos tangens dulcedine celos.
- 110 Angelus ignarum docet, organa ſignificare
 Virginis Agnetis animam ſuper aſtra meare,
 Meque annis tribus emenſis hac ſorte beari.

1) Hs. inquam. Concia.